



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De sententia & re iudicata. Consilium CXLVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

testatorem deprehenditur ex eo, quod testator paulò ante speciale legatum pro anniversario Curato Ecclesiæ ascripserit, cum verosimile non sit, quod facultatem celebrandi hanc missam, & percipiendi quatuor modios eidem Curato voluerit ascribere: potissimum quod & separatim altaris S. Antonij meminerit, & in eam missam celebrari voluerit. Quod verò hoc altare proprium sit & perpetuum titulum beneficium, constat ex instrumentis pro parte Actoris exhibitis: quodque propria ac destinata bona habeat inde probatur, quod Reus alleget hoc altare Archidiacono singulis annis rescribi ad quinque modios: quæ fortè etiam causa fuit, cur testator alios quatuor modios adiecerit pro augmento fructuum. Quæ quidem rescriptio Actori obesse non debet: nam ea rescriptio antiquam formam retinet; quæ per novum augmentum ideo mutata seu aucta non fuit, quod Rectores dicti altaris sua simplicitate, & juris ac etiam fortè facti, hoc est scripti testamenti ignorantia, hanc facultatem celebrandi & missas faciendi non exercuerint, quia Pastores seu vicarii sine titulo & contra voluntatem testatoris eam usurpando, non potuerunt Rectoribus hujus altaris saltem in futurum nocere & altari jus suum auferre; † quia à die conditi testamenti nondum fuerunt ante institutam hanc litem lapsi 40. anni, (scriptum est enim & publicatum hoc testamentum anno 1523, undecima Maij, & lis est cœpta mense Augusto anno 1562) sic ut ad implementum quadragenariæ præscriptionis novem menses defuerint; quæ siquidem quadragenariæ præscriptione opus est ad excludendam Ecclesiam à prosecutione juris vel rei suæ; non tantum si privatus contra Ecclesiam, verum etiam si Ecclesia contra Ecclesiam præscribat, c. De quarta c. ad aures de præscript. franc. Balbus De præscript. quinta partis princip. 3 parte 1. in princ. * Quam quadragenariam præscriptionem oportet usque ad ultimam diem ex toto esse completam; sic ut nec ultima dies cœpta pro completa habeatur, quia odiola est, gloss. in l. In usufructu, De divers. & temp. præscript. & ml. 3. §. minorem De minor. † quam propterea sufficit etiam per solam citationem interrumpere, quoties ab initio sine titulo & mala fide cœpta est, l. Cum notissimi in princ. & §. 1. C. de præscript. 30. vel 40. ann. Iaf. in l. fin. in princ. de eo per quem fac. erit. Baldus consil. 211. casus talis vol. 1. Cum alioqui in subiecto casu nec illud constet, quo tempore testator mortuus sit; vel quamdiu seu à quo tempore Pastores de Limae hoc jus celebrandi ac percipiendi usurpare inceperint: sic ut ad sustinendam huiusmodi Rei exceptionem præscriptionis, nihil solidi in his actis invenitur. De malâ autem fide aut saltem defectu tituli inde constat, quod aliquis alius titulus quàm testamentum à Reo non proferatur: is autem titulus quoad Reum seu Curatum Ecclesiæ de Limae nullus sit; quia, ut deducum est, titulus legitî ex prædicto testamento ad altare S. Antonij seu ejus rectorem pertinet, & minime ad Pastorem.

Proinde existimo partes Domini Iudicis esse, ut declaret facultatem celebrandi hanc missam, eoque nomine percipiendi quatuor modios, ad Actorem in qualitate, quæ agit, pertinere; &

Reum ad perceptorum modiorum saltem ab interrupta hac præscriptione restitutionem, simul & in expensis litis condemnnet.

De sententia & rejudicata.

SUMMARIUM.

Sententiæ probatio.

1. Sententia an per testes probari possit.
2. Sententia ex breviculo recitanda & per scripturam probanda.
3. Appellans curare debet, ut ei edatur instrumentum sententiæ.

CONSILIUM CXLVIII.

EX traditione Innocentij, in cap. G. perpetuus, De fide instrum. communiter receptum est, quod appellato negante sententiam, appellans possit illam probare per testes, ut id expresso etiam iure cautum est, c. Sicut De sent. & re iudic. Alberic. de testib. & decisione Rotæ Romanæ confirmatum, decis. 409. Fuit dubitatum in novis, aliàs est 19. sub iii. de re iudicata: usque adeo ut appellante probante, appellatus propter negationem videatur sententiæ & ejus effectui renunciasse. Ceterum ea opinio simpliciter accipienda non est: * cum enim sententia ad sui substantiam, & 2 validitatem requirat scripturam, c. fin. De re iud. lib. 6. (est enim ex breviculo recitanda, l. 2. & 3. C. de sent. ex brev. recit.) generaliter verum est, eam quoque per scripturam esse probandam, estque ea ordinaria forma probandi sententiam, ut & observatur in omnibus actis judicialibus, c. Quoniam contra. De probat. A quâ tamen generali traditione certis ex causis receditur, postulante & urgente necessitate; cum videl. sententiæ instrumentum deperditum allegatur, Panorm. in d. c. Sicut, l. sicut iniquum C. de fide instrum. l. Testium, in fin. C. de testib. aut Appellans allegat Iudicem vel Notarium nolle sententiæ copiam exhibere, vel si appellatus instrumentum sententiæ habeat, appellante eo carente: huiusmodi enim exemplis traditionem suam explicat, & restringit Innocentius, in d. c. G. perpetuus, Unde si appellans potest vel potuit habere instrumentum sententiæ, nec curaverit, ut id habeat, quia in culpa est, ei imputabitur; & ut ait Felinus, in d. c. G. perpetuus in fin. ex sententia Ioannis Andreæ, Panormitani, & Imolenfis, stabitur regulæ, ut Actor non probante Reus absolvi debeat: hoc est in proposito non probata aut probata sententia, appellatus ab instantia iudicii absolvetur, cum non cõstet de devolutione causæ ad Iudicem, coram quo causa appellationis introducta est. † Imò hoc amplius dicit Felin. in d. c. G. perpetuus, 3 oportere appellantem probare, quod usus sit omni remedio ad cogendum Notarium Iudicis à quo, super editione instrumenti sententiæ, & quod facta possibili diligentia ab eo consequi non potuit; ita quod ejus assertioni simplici, quod Notarius edere noluerit, standum non sit: cum non præsumatur Notarius negare, quem ad editionem faciendam constringit juris dispositio, d. c. Quoniam contra, & incitat proprii lucris expectatio atque aviditas.

Cum

Cum ergo D. Ioannes Houmert appellans neque amissionem instrumenti sententiae, neque reculationem Iudicis aut Notarii, vel propriam diligentiam alleget, & ad alium locum currere non debeat, pro obtinendo instrumento sententiae, sed in oppido Lovaniensi, ubi Notarius dictae sententiae & primae instantiae habitat, imò & ex actis constet appellanti literas compulsorias esse decretas, eumque illis usum non esse; consequens est, quod oblatio probationis per testes non sit hic admittenda, neque urgeri debeat appellatus ad respondendum ad huiusmodi appellantis allegationem de sententia pronunciata, de appellatione intra decem dies interposita, de apostolis petitis, & reverentialibus obtentis. Itaque cum appellans de devolutione huius causae ad Romanam Curiam non docuerit, quod est fundamentum jurisdictionis Domini Delegati, recte infertur & concluditur, quod Reverendus Dominus Abbas debeat declarare sibi in hac causa jurisdictionem non competere; condemnando appellantem in expensis coram se factis.

De sententia & re iudicata.

SUMMARIUM.

Sententiae nullitas ob propositam reculationem.

1. Inverecundia petentium non concedenda impetrat.
2. Recusatio Iudicis proposita afficit iurisdictionem.

CONSILIVM CXLIX.

VENERABILIS D. Praeposite. Idem vobis accidisse arbitror, quod Valentiniano & Theodosio Imperatoribus, in l. 1. c. De pet. honor. subl. lib. 10. utinverecunda ac importuna M. Petri R. inhiatione & sollicitatione constringeremini ad non concedenda tribuendum & non decernenda decernendum. * Est enim de iure manifestissimum, quod reculatione suspecti Iudicis proposita statim afficiatur ejus iurisdictione, l. 1. c. Si quacunque prae. potest. & sic quidem afficiatur, ut ab eo dicta aut lata sententia ipso iure sit nulla, & processus ab eo factus nullius momenti; quia Iudex debet esse certus de sua iurisdictione, l. Quare in fin. D. De eo qui pro int. neg. ges. Bartol. in l. Multum interest De cond. & demonstr. Quae quidem recusatio usque adeo praemissa operatur, ut etiam simplex recusatio, nulla probatione, imò nec allegatione causarum suspicionis accedente, sic afficiat iurisdictionem Iudicis, saltem ante cognitionem arbitratorum super articulo suspicionis assumptorum, notat. per glos. & alios in l. Quia poterat & ibi Lud. Rom. D. ad S. C. Trebel. Steph. Aufrer. decis. Tholos. 478. quanto magis in praesenti causa id obtinebit, ubi per Guilielmum Z. recusantem tam graves & praegnantibus causae suspicionum proponuntur & probari offeruntur? quas etsi fortassis falsas esse sciat D. V. (neque enim volo ijs fidem aliquam simpliciter dare nisi accedente probatione) quia tamen ad probationem illarum contendit idem Guilielmus, non debet D. V. velut ius sibi dicens eas tamquam falsas rejicere: neque enim vobis ut Iudici constare potest de eorum falsitate aut veritate. Quam quidem sententiam, quod per simplicem reculationem sic afficiatur iurisdictionem. Conf. Wamel. Tom. I.

iurisdictione recusati Iudicis, comprobamus auctoritate Glossae, in c. quos 1. q. 6. Bartoli, in d. l. Quia poterat, Ioan. de Imola, in d. l. Quia poterat, Alex. in d. l. Quia poterat & cons. 89. Diligenter considerati vol. 1. Hostiensis, Ioannis Andree, Panorm. Praepositi in cap. Cum speciali de appellat. Geminiani, Pet. Anchorani, in c. Iudex de off. deleg. lib. 6. Salicet in l. apertissimi C. de iudic. Baldi in c. Suspicionis de off. deleg. & in d. c. Cum speciali, Castrensis consil. 231. Vasis actus vol. 1. Lud. Romani, cons. 210. Circa primum, Decij, cons. 175. In causa falsitatis & in d. cap. Cum speciali nu. 9. & Caroli Molinici, in addit ad Alex. decis. 89. & Decimii d. consil. 175. & in d. c. Cum speciali.

Cum ergo & recusatio sit proposita per M. Guilielmum, & reculationis causae adiectae, quae si vera essent, nulla ratione ferenda esset vestra iurdictio; non video, qua ratione, salva juris ratione, possit eadem evadere juris tam civilis quam Canonici dispositionem. Recte ergo fecerit Dominatio vestra, si reponet M. Guilielmum adversus decretum, quod verè nullum est, certè plus quam iniquum; & sequetur formam alibi traditam, in d. c. Cum speciali de appellat. ubi eo etiam casu, quo aliquo modo constat partem reculationem proponere vel ex malitia vel dilationis gratia, jubet canon nihilominus rem ad arbitros referri.

De sententia & re iudicata.

SUMMARIUM.

Sententiae revocatio & excusata nullitas.

1. Sententiam definitivam nequit Iudex revocare.
2. Appellatio a definitiva devolvit causam ad superiorem.
3. Appellatio ab interlocutoria non impedit Iudicem quo minus procedat.
4. Praeceptum de solvendo an sit interlocutoria.
5. Summaria causa non requirit terminorum substantialium observationem.
6. Summarie procedi quando possit ex partium consensu.
7. Sententia non lecta non est semper nulla.
8. Sententia sine causa cognitione lata quando sit nulla.
9. Sententia nulla non est, si exceptio dilatoria ordinis rejiciatur.
10. Exceptio ordinis dilatoria est.
11. Compensatio reiecta non facit sententiam nullam.
12. Ordinis beneficium non habet, qui alienam obligationem in se recipit.
13. Novatio non fit nisi quando hoc agitur.
14. Expromissor quis & an ordinis beneficium habeat.
15. Promissio sine causa inefficax non est.
16. Sententia per suum auctorem retractari potest quae nulla est.
17. Conditio sententiae intrinseca quae nullitatem inducat.
18. Iudex ordinarius quomodo appellantem contra sententiam reponere possit.
19. Citationem opus est ad repositionem & revocationem sententiae.

CONSILIVM CL.

VNICVS est juris articulus, in quo consistit status causae appellationis, Lamberti Damidde appellantis contra Hubertum Ruerich appellatum, & is quidem sine difficultate.